



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

SS. Basilides & Socii MM. 10. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

SS. BASILIDES & SOCII  
MM. 10. Iunii.

**O**ffenduntur delicati, cū viam iis  
 regiam, quæ ad cælum ducit, stra-  
 tam crucibus ostendimus; cū per ve-  
 preta, quæ Christus calcavit, per cru-  
 enta Martyrum sanguine vestigia duci-  
 mus insuetos laborum; monstrabimus  
 ergo nauseabundis compendium, quo  
 BASILIDES, TRIPUS & MANDALES ex-  
 tra ordinem ad cælum sunt perducti. BA-  
 SILIDES operam suam Platoni viro pri-  
 mario, sed impiæ superstitioni dedito  
 locabat, studiosè argumenta omnia ce-  
 lans, ex quibus agnosci Christianus pos-  
 set. Non placebat Christo, quòd tam  
 doctè uteretur foro, & tempori peri-  
 tus quàm conscientiæ velificaretur, ad-  
 versus præceptum suum duobus domi-  
 nis emancipatus. BASILIDES nihil  
 moratus, Platonem deserit, & cum so-  
 ciis rectà ad littus profectus, in navem  
 incidit, quâ instructiorem nulla unquam  
 aqua tulit. Christus ad clavum sedebat,  
 Angeli remigum officium occupabant,  
 nimis profectò familiariter officiosi.  
 Quid metuerent felicissimi vectores?  
 Syrtésne? an ventos? an fluctus? equi-  
 dem credam optasse omnia pontum esse,  
 & deesse littora ponto: nam certè in  
 portu denique trepidare cœperunt, ad-  
 versâ

10. Iunii. VITÆ SANCTORUM. 367  
versâ de Aureliani sãvitie famâ perculsi.  
Ausi ergo rogare Christum sunt, liceret  
sibi siccâ morte, & incruentâ defungi.  
Datum id quoque, placitâ compositos  
quiete Angelorum manus cælo intule-  
runt. Nihil audies suavius: & tamen fron-  
tem contraxisti, cùm his quoque nega-  
tum audires duobus dominis servire. *Ex*  
*Mombrit. & P. de Natal.*

*Esto humilis, & pacificus & erit tecum*  
*Jesus: sis devotus & quietus, & manebit*  
*tecum Jesus. Potes cito fugare Jesum &*  
*gratiam ejus perdere, si volueris ad exte-*  
*riora declinare: & si illum effugeris &*  
*perdideris, ad quem fugies, & quem tunc*  
*quæres amicum? Thom. à Kemp. l. 2. c. 8.*

S. OLIVA VIRG. MART. 10. Iunii.

**N**obilis virgò fuit OLIVA. Id si cu-  
nis avitis non crederem, monilibus  
crederem, vinculis inquam, quæ anno  
ætatis tertio decimo pro Christo gesta-  
vit, multùm hoc muliebri mundo, &  
quantùm nulla alia virgo, superba. At  
mors, sive ætati hoc, sive generis splen-  
dori dabat, noluit tam pulchram OLIV-  
VAM immaturo fato decerpere. Tyran-  
nus tamen ex oculis patriæ (Panormum  
erat) in exilium transtulit. Nihil minus in  
hoc florere visa OLIVA. quid? quòd cæco  
eidemque pedibus capto cum luce Chri-  
stum ostendit, & ad partes Christa-  
norum